

Lichensaccatus habetur in Flora suecica impressa 1755.
p. 419. n. 1102.

Si nequeam in tempus paschatis habere Tuum opus de-
sideratissimum, nescio sane quo me vertam; tum enim de-
beo incipere novam generum editionem, et nequeo carere
Tuis characteribus generum, imprimis novorum.

Quassia foliis Sapindi s. Melicocci, arbor, calyx 5par-
titus. Petala 5 lanceolata, magna, aequalia. Stamina 10
ad unguis filamentorum squama nectarifera ut in Zygo-phyllo.
Pist. 1. Germina 5 (saepe 2 s. 3.) in orbem circum recep-
taculum, distincta, remota, horizontalia, ovata, mono-
sperma. Radix viribus Chinam superat.

Aristolochia triloba mea absque flore est, sed facile
dignoscitur cum caulis inter digitos diffractus maxime om-
nium aromaticus sentiat.

His exaratis accepi iterum plurimas stupendas icones
rarissimarum Tuarum plantarum.

24.

Viro amplissimo DD. Nicol. Jacquin Botanico Cae-
sareo s. pl. d. Car. von Linné Equ.

Literas Tuas V. A. d. 13. Martii rite habui. Pro im-
mortali opere grates maximas quas possum reddo. Scripsi
mox ad D. Rotböhl de ejus transmissione.

Cardamine bellidifolia est certe eadem, licet pessime
picta; nec alia in alpibus Lapponicis occurrit.

Oederi tabulae non omnes optimae sunt.

2. Pedicularis non refert suam plantam, quae stricta est.

4. Silene etiam stricta est.

9. Azalea est procumbens.

22. Saxifraga mala est.

27. Hieracium non refert suam plantam.